



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

4 Aprilis. Pridie Nonas April.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

4 Aprilis. Pridie Nonas April.

SAncte Theodule juvenis, qui è
 cælo, unà cum S. Agathopode,
 ad patiendum armatus, carnifices
 tormenta ferendo fatigasti: cui è
 cælo quoque dono datus est an-
 nulus, quem ægri ut primum tan-
 gebant, illicò liberabantur à mor-
 bis: qui post verbera pulchrior esse
 conspectus es, &, unà cum socio,
 mari merfus; post mortem autem,
 stolâ & decorâ veste insignis ap-
 paruisti; ac præcepisti, ut facultates
 tuæ viduis ex æquo distribuere-
 tur, ac orphanis. Excita miserum
 hoc corpus, ut pro Deo patiarur
 libenter in oratione, jejuniis, mor-
 bis, ubique; ut post mortem felici-
 tem, pro momentaneo, quod pas-
 sum est, æternitate gloriæ induatur.
 Non curet nunc, quid suave sit, ac
 facile; sed quid placeat Deo: si enim
 hîc animæ non obedierit, æternâ
 deformitate, ac tormentis crucia-
 bitur; si obedierit, æternâ pulchri-
 tudine vestiatur. Amen.

S. Ambrosi, Italiæ Apostole, Do-
 ctor Ecclesiæ, de quo Reges dice-
 bant; te dicere soli: *Sta*; & solem
 stare. qui mortuum infantem vitæ

ac matri reddidisti: cujus, in psal-
 mum quadragesimum tertium,
 commentarium dictantis, caput
 igne caelesti repentè coopertum
 Paulinus amanuensis tuus vidit,
 igne illo tuum os mox ingresso, &
 facie tuâ, instar nivis, candidâ &
 lucente.

B. Hermanne-Joseph, cui Bea-
 tissima Virgo lapidem ostendit, sub
 quo pecuniam invenires, quoties
 indigeres; cùm tamen, sub eodem
 lapide, nihil alii reperirent: cui
 questo, quòd officia quædam pie-
 tatis exequi non posses, ob labores
 tibi imperatos, respondit Dei Ma-
 ter; majoris momenti rem esse, suis
 fratribus ex charitate servire: quem
 in cubiculo aliquando visens Dei-
 para, multas in illo miræ fragrantia
 rosas sparsit, quas tu omnes in pre-
 tioso calice collegisti.

S. Isidore Ep. eloquentiâ, libris,
 elemosynis, miraculis illustrissi-
 me; qui felicem animam in templo,
 postquam universo gregi benedixi-
 sti, Deo reddidisti.

S. Guilielme Eremita, magne
 incurabilium, & peste contacto-
 rum, advocate: cujus corpus e-
 nectum jejuniis, humi supplex,
 inter odoramenta caelestia, reliquit.

334 ANNI CÆLESTIS
anima hinc discedens.

S. Aleydis, S. Bernardi mater,
quæ mortem, quam divinitus præ-
vidisti, hodie sub Litanis obiisti,
ad illa verba; *Per Crucem, & Passio-
nem tuam.*

S. Plato, prævæ conversationis
osor, cum discipulis pro veritate
exul, multa sæpè passè: qui vilo
sepulchro tuo, gratias Deo agens,
tèque ad mortem componens, læ-
tus cecinisti: *Resurgent mortui, &
exsurgent, qui sunt in monumentis; &
latabuntur, qui sunt in terrâ.*

S. Zosime Anachoreta, qui
S. Mariæ Ægyptiacæ sanctum vi-
ticum dedisti, ejusque funus cura-
sti.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA, qua hodie morientia
Indi, clientis tui, conclave odoribus
implevisti, illum invisens, unâ cum
Christo, & Sanctis. Veni ad me ju-
vandum, Domina, in die illâ tre-
mendâ: habe singularem cu-
ram ultima hora
mea!

§ Aprilis.